

DISPUTATIO THEOLOGICA
CONTINENS

Decadem illustriorum the-
orematum de PECCATO,

Quam

Docente ac ducente Deo,

Sub Præsidio

Reverendi, Clarissimi & excellentissimi Viri

Dn: Cœlestini Myſlentæ, S. S. Th:

Doct: ejusdemq; Prof: Publ: Ordinar: Ca-
thedral: Eccles: Past: Consist: Samb: Assess:
dignissimi, Præceptoris ac Promotoris sui
ut plurimum colendi,

Publicè examinandam proponit

JOHANNES HELLENIVS Oldenb: Frisius

*Ad diem 11. Januarij, horis matutinis in Audito-
rio majori.*



REGIOMONTI
Typis LAVRENTII SEGEBADII
M. DC. XXXVI.

188

295164

264048

Admodum Rev: Clariſſ: Consultiſſ: & Excellentiſſ:
VIRIS,

Dn: Gotfrido Slütero, S. S. Theol: D. ac Ec-
clesiae, quæ apud Oldenburgeses colligitur, Pa-
stori & Superintendenti, ut vigilan-
tissimo, ita dignissimo.

Dn: Iohanni Tilingio, I. V. D. ac generoſiſſ:
Comitis Oldenburgici Consiliario dignissimo, Dn.
avunculo suo chariſſimo.

Ut &

Reverendis, Clarissimis ac doctissimis viris,

Dn: M. Antonio Buschero, apud Oldenburgicos

Dn: Iohanni à Lindern, Verbi divini mini-
ſtris fidelissimis.

Nec non

Spectatissimis omniq; integratatis genere praftantiſſi-
mis VIRIS,

Dn: Ioachimo Löbel, Seniori, mer-
catori Ragnetensi, & ibidem Scabino
judicij prudentiſſimo.

Dn: Ioachimo Löbel, Civi ac mer-
catori Regiomontano florentiſſimo.

Dn: Nicolao zur Helle, Civi ac mercatori Bre-
mæ primarijs, fratri suo percharo.

Dominis Mæcenatibus, patronis, promo-
toribus, cognatis, fratri & fautoribus
obſervanter colendis.

Hæc ſtudij Theologici primities
offert & conſecrat

Johannes Hellenius

Auctor & Respondens.

DISPUTATIO THEORE MATICA DE PEC- CATO.

§. I.

 Mnis institutio (ut monet Tullius I. officiorum) quæ à ratione de aliqua re suscipitur, debet à definitione proficiere, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur. Quare & nos theorematum quædam de peccato examini publico subjecturi, definitionem peccati merito præmittimus.

§. 2.

Vulgò autē duplex definitio constituitur: Altera *νομικός* vel nominalis: Altera *περιγραφός* vel realis. Illa definiti nomen; hæc naturam & essentiam declarat. Sed de definitione peccati nominali non addo solicieti, hâc vice tantum definitionem ejus realem damus. Illa totundè nobis proponitur. Johan: 3. v. 4. *η μηχανία εστὶ η ἀνομία: peccatum est à lege deviatio.*

§. 3.

Definitur hic peccatum per *ἀνομίαν* seu legis deviationem, ubi observandum, quod illa lex, à qua peccatum deflectit, sit nihil aliud, nisi sola Dei voluntas. Sicut enim id omne & solum bonum est & dicitur, quod cum voluntate divina congruit: ita quicquid à voluntate divina recedit, peccatum est. Lex vero cùm *σύμβολον* vel signum sit voluntatis divinæ, sit hinc, ut istud normæ symbolum sumatur pro ipsa norma, idem quæ sit aberrare à lege, atquè discedere à voluntate divina. His ita breviter præmissis, ad theorematum ipsa properamus: sit igitur

A 2 THE-

THEOREMA PRIMUM.

Peccatum primum (primorum puta parentum) rectius incredulitas , quam superbia fuisse statuitur.

Peccatum in varias dividitur species. Aliud enim est primum , aliud à primo ortum. Ortum dividitur in originale & actuale. Actuale aut est directe in doctrinam legis, aut evangeliij. Quod in doctrinam legis, aut regnans est, aut non regnans. Quod in doctrinam evangeliij, aut est in filium hominis , aut in Spiritum Sanctum.

Verum in proposito nostro theoremate agimus de peccato primo, primorum sc: parentum, quod generatim Apostolus inobedientiam nominat, Rom: 5. Illud Superbiā fuisse statuit Bellarm: lib: 3. de statu peccati, c. 4, & 5. Sed si ordinem seductionis in Mose expressum oculis animi accurate intueamur, rectius incredulitas inde colligitur.

§. 3.

Diabolus enim cum Eam in Paradiso alloquebatur, quærendo : cur Deus vetuerit illos vesci ex omnibus arboribus pomarij ? Eva statim ad dubitationem & incredulitatem permota respondet : Vescimur fructibus arborum pomarij : tantum Deus nobis interdit eà arbore, quæ est in medio pomario , ne vescemur

mur fructu ejus , neve eum attingeremus , ne FORTE
moriatur , Gen: 3. ¶ . 1 , 2 , & 3. Ubi nota , ne FORTE ,
inquit , moriatur . Unde dubitatio & incredulitas Evæ
elucet , quia non credebat ex esu pomi certò secuturam
mortem .

§. 4

Post a. cùm serpens Evam videret dubitantem , per-
git cum illa loqui , & id , quod Deus affirmaverat , & de
quo mulier dubitaverat , ipse pernegat , dicens : Nequa-
quam moriemini , ¶ . 4. Et ut mulieri eò faciliùs persua-
deret , addit simul causam petitam à promissione sin-
gularis scientiæ . Novit enim , inquit , Deus , si come-
deritis de eo , tum oculos vobis apertum iri , atquè ita
vos fore tanquam Deos , scientes boni atquè mali , ¶ . 5.
Atquè hæc secunda erat tentatio , nimirum ad super-
biam , dum ex esu pomi divinam scientiam secuturam
Eva sperabat . Videmus itaque ex hoc seductionis ordi-
ne , quòd præcesserit dubitatio vel incredulitas , & se-
cuta fuerit elatio vel superbia .

THEOREMA SECUNDUM.

Peccatum originis non est ens merè
privativum , sed magis po-
litivum .

§. I.

De peccato originis , ab origine hominis , qui im-
mundo semine concipitur , Job: 14 , ¶ . 4. sic dicto , diu
multumquè disceptatum est , sitne illud mera privatio
imaginis divinæ , an verò præter illam privationem ali-

quid positivi includat? Pontificij & Calviniani prius
assumunt, atque hanc labem congenitam nihil aliud
esse, quam privationem bonitatis, primæquæ tantum
perfectionis carentiam notare asserunt. Bellarm: lib: 5.
de amiss: grat: & statu peccat: c. 15. Timplerus lib: 2.
Metaphys: c. 9. quæst: 17.

§. 2.

Verum nos Orthodoxi qui sumus, contrariam par-
tem tenemus, statuentes, peccatum originis non tan-
tum esse ~~se~~ gony, vel boni concessi amissionem, sed unà
~~se~~ gony, vel mali contrarij successionem. Etenim hoc ipsu
non modò originalem justitiam abstulit, sed præter
~~se~~ gony illam simul totam naturam, omnesquè ejus facul-
tates födissimè depravatas reddit. Et quemadmodum
morbus corporis non modò est privatio sanitatis, sed
morbus animæ non modò est privatio integratatis, sed
unà etiam omnium virium inordinatio.

§. 3.

Et sancè hanc sententiam nostram quam plurimis
possemus probare & confirmare argumentis, sed quia
illud ante hac ab alijs satis prolixè factum esse, videmus,
brevitatis causâ, illo labore hic supersedebimus. Inter-
im hoc unum adducere placet. Vulgatus canon logi-
cus habet: Causa & effectum toto genere non differunt.
Hinc ita argumentor: A quoquæ oriuntur effectus
positivi, illud ipsum quoquæ est aliquid positivi. At-
qui à peccato originali, tanquam à causa oriuntur effe-
ctus positivi, nimirum peccata actualia. Ergo peccatum
originale est aliquid positivi. Major probatur allegato
canone logico. Minor autem per se firma est. Peccata
enim actualia esse actus & effectus positivos, & à pec-
cato

cato originis, tanquam immunda scaturigine promana-
re, nemo inficias ibi.

§. 4.

Cœterūm hoc diligenter observandum est, peccatum non esse ens positivum propriè & in stricta significatione, pro ente Metaphysico sumptum, quod dicitur habere essentiam veram, realem, & à Deo produetam: sed terminum istum usurpamus impropriè, & peccato appellationem entis positivi potissimum attribuimus propter constantem adhærentiam & profundam naturæ pervasionem. Nominatur enim malum adjacens & inhabitans, eò quia non transit, sed fixam in carne sedem habet, Rom: 7. v. 17. & 21.

THEOREMA TERTIUM.

Peccatum originale non est ipsa ho-
minis substantia, sed vitiosa
qualitas animæ hominis cō-
stanter inhærens.

§. 1.

Generalissima & prima divisio entis hæc est: Ens aut est substantia aut accidens. Unde tritum illud:

*Summus Aristoteles truñando cacumina rerum,
In duo divisit, quicquid in orbe fuit.*

Nempe in substantiam & accidens. Jam vero supra audivimus, peccatum esse ens, & quidem positivum, (*εν πλάτω loquendo*) quæritur ergo porrò, sitne illud

Illud substantia, an verò accidens? Quæstionis hujus partem posteriorem pro affirmativa tenemus contra Manichæos & hodiernos Flacianos, qui malum hoc cum ipsa hominis substantia confundunt.

§. 2.

Licet enim spiritualem hanc lepram ita hominem invasisse & pervasisse fateamur, ut nihil boni amplius in carne habitet, Rom: 7. v. 18. nihilominus tamen ipsum non esse hominis, non esse peccati, aut contraria; sed aliam hominis, quâ homo, & aliam peccati, ut peccatum est, esse & manere essentiam, arctè tenemus, accuratequè defendimus.

§. 3.

Primo. Certum est, quod omnis substantia creata sit à Deo. Atqui peccatum non est creatum à Deo. Ergo peccatum non est substantia. Majorem probamus ex Deut: 32. v. 6. Deus est, qui fecit & creavit te. Item Apoc: 4. v. 11. Tu Domine creasti omnia, & alijs scripturæ dictis. Minor probatio ne non eget, nisi Deum peccati authorem manifestè constitueremus velimus. Sed Deus, cum sit summum bonum, & causa omnis boni, nullo modo causa peccati esse potest, ut docebitur theoremate sequenti.

§. 4

Secundo. Filius Dei hanc ipsam nostram humanam naturam, non autem peccatum originale assumpsit: Per omnia enim nobis, fratribus suis similis factus est, excepto peccato, Heb: 2. v. 17. & 4. v. 15. Ex hoc dicto talem necesse syllogismum. Christus non assumpsit peccatum. Christus assumpsit naturam nostram. Ergo natura nostra non est ipsum peccatum.

§. 5.

Tertio. In novissimo die carnis hujus nostræ, quam

circumferimus, substantia resurget ad vitam æternam. Peccatum non resurget ad vitam æternam. Ergo peccatum non est ipsa hominis substantia. Major probatur, quia eadem illa caro resurget, quæ cecidit, juxta illud Job: 19. v. 26. & 27. Hac cuto nostrâ induemur, & his oculis Redemptorem videbimus. Minor etiam certa est, quoniam in vita æterna nihil immundum, nihil coinquinatum locum habebit.

§. 6.

Sed omissis alijs argumentis, quibus hoc probatum dari potest, simpliciter, categoricè & rotundè statuimus, peccatum originis non esse substantiam, sed accidens, & quidem qualitatem naturæ nostræ profundissimè & inseparabiliter inharentem.

§. 7.

Et sanè non est accidens leviculum, sic ut naturam nostram reliquerit incorruptam (quemadmodum Victorinus Strigelius Synergista contra Flacium disputabat) sed omnem naturam nostram instar lepræ, ita invasit, & tam altè in ea radices egit, ut propterea totus homo corruptus, omnisq; ejus substantia turpisimè depravata sit, adeò ut ex se, suisquè viribus nîl nisi malum agat.

THEOREMA QUARTUM.

Causa prima peccati, est diabolus,
secunda, perversa hominis
voluntas.

§. 1.

Causas, si loquare propriè, peccatum habet nullas

B las

ias, nequè efficientem, nequè materiam, nequè for-
mam, nequè finem. Efficientem non habet, quia cau-
sa efficiens, quæ est per se & propriè, non efficit quid
toto genere à se distinctum, sed efficit ens, quod in se
bonum est. Peccatum a. est boni carentia, quæ ad non
ens tendit. Causa igitur unde peccatum proficiscitur,
potius deficiens quam efficiens denominanda est.

§. 2

Materiam peccatum non habet, quia materia est
pars essentialis rei. Peccatum a. cum ad ens Metaphy-
sicum referri nequeat, nec essentiam à Deo productam
habeat, per consequens nec materiam habere potest.

§. 3

Formam non habet, quia forma est præcipua rei
natura, sive dat esse rei, jam verò, quia peccato entis
significatio propriè attribui nequit. Ergo rectè etiam
forma ipsi denegatur.

§. 4

Finem denique peccatum non habet, quia finis
non est nisi bonus. Peccatum verò cum sit summum
malum, nullatenus rationem boni habere potest. Et
sic nulla, propriè loquendo, causa peccati erit.

§. 5

Verum, cum *areīβia Philosophica* in articulis fi-
dei locum non semper inveniat, nihil impediet, quo
minus εν λαζε. & sensu generaliori, peccato etiam cau-
sa quasdam assignemus. Primam itaque causam pec-
cati Diabolum facimus, qui sponte sua se à Deo pri-
mùm avertit, & ab initio peccavit, 1. Joh: 3. v. 8. Se-
cundam propriam hominis voluntatem esse dicimus,
quæ fascinata præstigijs Diaboli, 2. Cor: 4. v. 4. præ-
bet se ad omnes ipsius ductus obsequentem.

§. 6. Facit

Facit itaque theorema nostrum contra Calvinianos, qui Deum benedictum & gloriosum peccari auctorem esse statuant. Et licet nonnulli ex illis directe Deum peccati causam non pronuncient, indirecte tamen suis hypotheses omnem mali culpam blasphemè in ipsum transserunt. Scribunt n. Deum arcana vi cooperari, & homines occulto quasi fune ad peccandum trahere. Et sic quidem distinguere volunt inter voluntatem Dei apertam & occultam, dicentes: Deum apertâ quidem voluntate malum vellere, occultâ tamen velle. Sed (horrendum auditu!) hoc ipso Deum deteriorem faciunt Diabolo. Nam certum est, quod Diabolus Deo in omnibus sic contrari, hinc, si Deus apertâ voluntate peccatum prohibet, occultâ v. amat, sequitur, ut Diabolus apertâ voluntate peccatum jubeat, occultâ verò aversetur. Atque ita Diabolus Deo tanto melior est, quanto deterius est, bonum simulare, quam malum.

Blasphemia!

§. 7.

Sed Deus cum naturâ sit summè bonus, & fons omnis boni, omnem mali suspicionem ab ipso recte removemus, causamq; peccati tum Diabolo, tum nobis ipsis adscribimus. Diabolo quidem, quia ad peccandum nos instigat, & mala suggerit: nobis autem, quia Diabolo non resistimus, sed ipsi sponte consentimus. Nam Diabolus mala quidem potest sugerere, sed voluntates nostras inflectere non potest.

THEOREMA QUINTUM.

**Omnis homines, post lapsum Adæ,
secundum naturam propagati,
nascuntur cum peccato.**

Materia in qua, seu subiectum peccati duplex est, aliud enim est *inhæsionis*, & aliud *prædicationis*.

Subiectum *inhæsionis* est *totus homo*, & *totum hominis*. Quando enim peccatum originis consideratur respectu individui, cui inhaeret, tum pro objecto habet, non solum hominis corpus, neq; solam animam, sed corpus & animam simul, adeoq; totum hominem. Hinc *totus* dicitur *immundus*, Job: 14. v. 4. Et enim à plantæ pedis ad verticem usq; non est sanitas in nobis. Esa: 1. v. 6.

Subiectum *prædicationis* est *omnis homo*, & *totum genus humanum*. Scriptura n. universaliter loquitur, & omnes homines peccasse dicit. Rom: 5. v. 12. Quicquid enim natum est ex carne, caro est. Job: 15. v. 15. Hinc naturā vocamur filii iræ, Eph. 2. v. 3.

Opponimus itaq; hoc theorema, primò, ijs Calvinianis, (non enim omnes ita statuunt) qui infantes fidelium antè susceptum baptismum fideles & sanctos habendos esse asserunt. Evidem non ignoramus, infantes Christianorum appellari sanctos I. Cor: 7. v. 14. verum per illam sanctitatem non interna & spiritualis animæ puritas intelligenda est, sed Ecclesiastica tantum dignitas, quâ fidelium liberi præ exteris & paginis sunt donati. Nimurum pertinet ad illos promissio fæderalis: Ero Deus tuus, & semini tui post te, Gen: 17. v. 7. Ob quam promissionem Christianorum infantes ad sacramentum Baptismi admittuntur, infidiliū verò liberi, quia illa promissio illos non attinet, ab Ecclesiæ bonis secluduntur. Ob hæc igitur privilegia

gia Christianorum infantes sancti appellantur. Qui v.
inde ad sanctitatem internam & spiritualem argumen-
tantur , adeoq; infantes fidelium sine peccatis nasci
contendunt, illi agunt contra expressam literam scri-
pturæ , quæ infantes peccatorum sordibus pollutos es-
se pronunciat. Nam i. Christus Joh: 3. v. 5. inquit: Ni-
si quis renatus fuerit ex aqua & spiritu , non potest in-
troire in regnum Dei. Unde sic infero : Quicunq; o-
pus habent lavacro regenerationis , illi in peccatis na-
scuntur. Atqui infantes opus habent lavacro regene-
rationis. Ergo.

§. 4

I I. Ad Rom: 5. v. 12. dicitur , quod mors in o-
mnes homines transierit. Unde porrò sic argumentor:
Quicunque morti sunt obnoxij , illi peccatorum for-
dibus sunt polluti. Atqui infantes morti sunt obnoxij
Ergo. Major est firma , quia mors peccati stipendum
est. Rom: 6. v. ult: Minorem verò ipsa experientia
probat.

§. 5.

Deinde opponimus quoq; hoc theorema Pontifi-
cijs , qui virginem Mariam , matrem Domini non esse
in peccatis conceptam & natam asserunt. Ita Bellarm:
lib: 4. de amiss: grat: c. 15, 16. & lib: 2. de Monachis c.
39. pronunciat, singulari Dei privilegio, beatam vir-
ginem Mariam ab omni omnino peccato fuisse immu-
nem. Sed, ut alia argumenta consultò prætereat, us
quibus evincitur virginem Mariam fuisse peccatricem,
tantum scripturæ universalitatem Pontificijs opponi-
mus , quæ omnes homines sub peccato concludit &
neminem excludit.

§. 6.

Cœterū , quemadmodum theorema nostrum
omnes

omnes omnino homines, qui secundum communem
naturae cursum nascuntur, sub peccato concludit; ita
Christum, Salvatorem nostrum ab omni peccato me-
rito excludit. Nam ille non ex pollutis, sed castis &
purissimis Mariæ sanguinibus, obumbratione Spiritus
sancti conceptus est, juxta illud:

*Non ex virili semine, Verbum Dei factum est caro,
Sed mystico spiramine, Fructusq[ue] ventris floruit.*

Similis n. nobis Christus factus est in omnibus, ex-
cepto peccato, Heb: 4. v. 15. Unde nō ἄγοτο dicitur,
Luc: 1. v. 35. Et ἀνθρώπων, Dan: 9. v. 24.

Præter hunc vero cum scriptura nullum alium ho-
minem excipiat, ab universalitate ista temere disce-
dere non debemus,

THEOREMA SEXTVM. Peccatum originis non imitatione & exemplo, sed propagatione carnali traducitur.

§. I.

Pelagius in ea fuit sententia, peccatum originis
non propagatione carnali, sed imitatione & exemplo
in nos transire. Cui adstipulatur Joh: Calvinus, qui e-
tiam peccatum originale naturaliter propagari a pa-
rentibus in libros negat. Nam in Comment: in Gen
cap: 3. ex professo hoc argumentum tractat: Neq; o-
pus est, inquit, confugere ad vetus illud quorundam
figmentum, quod animæ ex traduce orientur. Neq;
n. naturaliter ex Adæ progenie corruptionem traxe-
runt posteri, sed id potius ex Dei ordinatione pendet.

§. 2. Due

§. 2.

Duo h̄ic proponit Calvinus; prīmō negat propagationem animæ, deinde propagationem peccati. Prīmum quod attinet, pleriq; omnes Calviniani, & cūm illis Pontificij negant, animam hominis, (cūm illa primaria peccati originalis sedes sit) uti corpus à parentibus propagari, sed immediate à Deo creari, & corpori jam in utero matri formato infundi affirmant. Timpler: lib: 4. Metaph: c. 5. quæst: 7. Bell: lib: 4. de amiss: grat: & stat: pecc: cap: II.

§. 3.

Verūm nos Orthodoxi, licet de origine animæ, præsertim tacente scripturā, nihil certi temerè affirmemus; tamen, quia ostendi non potest, quomodo anima peccato inficiatur, si ejus creatio statuatur, sententiam adversariorum de animarum infusione improbabilem esse dicimus, & contrà animam à parentibus propagari asserimus. §. 4

Testatur enim scriptura sacra, totum hominem generare totum hominem, juxta divinam illam benedictionē: Crescite & multiplicamini, Gen: 9. v. 28. Quæ verba nō tantū ad unā hōinis partē, eāq; ignobiliorē, corp' sc:adstringi debēt, sed ḥoninō etiā de altera hōinis parte, eaq; nobiliori, videlicet anima, intelligi debēt.

§. 5.

Sic Adam dicitur Sethum generasse ad imaginem suam, Gen: 5. v. 3. Quæ imago potissimum consistebat in conformitate animæ. Ergo Seth non solūm corpus, verūm etiam animam ab Adamo traxit. Quare animam propagari nemo negabit.

§. 6.

Deinde propagationem peccati originalis quod attinet,

tinet, contra Pelagianos, Calvinianos & Pontificios statuimus, illud carnali generatione in nos transire. Dicitur n. Adam filium generasse ad imaginem suam, Gen: 5. v. 3. Quæ imago consistit non tantum in animæ ac corporis conformitate, sed ipsius etiam naturæ corruptione & peccato, sicut imago Dei, ad quam Adamus creatus est, consistebat in naturæ integritate & sanctitate. Oppositorum enim opposita est ratio. Hinc igitur manifestum evadit, peccatum Adami in Sethū, omnesq; ejus posteros, qui ad imaginē Adami generantur, transire. Quale enim est propagans & traducens, tale etiam est propagatum & traductum. Nimirum castuliluporum non referunt ingenium ovium, & è Squilla non nascitur rosa.

THEOREMA SEPTIMUM.
Infantes Christianorum, qui morte prævēti sacri baptismatis fōte non abluuntur, proptereà propter peccatum originis non damnantur.

§. J.

Omnes homines, qui in universo terrarum orbe degunt, in duas dispescuntur classes, quarum una fideles sive christianos, altera infideles sive paganos continent. Hinc infantum alios à parentibus fidelibus, alios ab infidelibus nasci sequitur. Quæritur igitur, an infantes Christianorum, (de ijs enim qui extra Christianæ Ecclesiæ pomœria nati, nostrum non est judicare, sed cū Apostolo Paulo eos Dei judicio commendatos volumus,

lumus, i. Cor. v. 13.) qui sīnē sancti baptismatis sacramento de hoc seculo transirent, propter peccatum originis, ē regne cœlorum excludantur?

S. 2.

Pontificij universaliter omnes infantes, ut incircumcisos, sic non baptizatos & tertiæ mortis pœnâ damnandos esse statuunt. Bellarm: lib: 6. de A. G. c. 2. Nōs verò contrariam sententiam arripimus, & infantes Christianorum, qui in casu necessitatis, sīnē baptismō decedunt, propterea non damnamus.

S. 3.

Equidem fatemur, ordinarium medium fidei & justificationis esse baptismum, juxta dictum: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non introibit in regnum cœlorum Joh: 3. v. 5. Interim tamen sciendum est, quod Deus non semper alligatus sit ad cœlas secūdas, sed extraordinariâ immediatâ actione fidem (sīnē qua nemo Deo placere potest, Heb: 11. v. 16.) in non baptizatis infantibus (qui antè nativitatem publicis & privatis Christianorum precibus Deo commendantur) accendere, & per hanc salutem ijs conferre possit.

S. 4.

Sic Luc: 1. v. 12. legimus de Jōh: Baptista, quod Deus illum adhuc in utero matris Spiritu sancto impleverit, cumquè fide donaverit. Quid igitur impediet, quod minus eandem alijs Christianorum liberis, à Baptismo ob necessitatis casum exclusis conferat, & sic ob metitum Christi, fide apprehensum, peccatum originale remittat, eosquè & terūm salvet.

S. 5.

Manifestum insuper exemplum pro confirmatione sententie nostræ habemus in filio Davidis ex Bathsaba susceppto. De eo legimus, quod septimo die, & sic ante circumcissionem sit mortuus, 2. Sam: 12. v. 18. Et nihilominus dicit Rex David v. 23. Ego vadam ad eum, ille verò non revertetur ad me. Jam verò Davidem ad beatos in corlo, & non ad damnatos in inferno abire voluisse, certum est. Quare & Davidis filium, licet incircumcisum in cœlestis gaudium suscepsum esse, inde evincitur.

S. 6 Sicut autem circumcisio se habebat ad infantes Iudeorum; sic baptismus se habet ad infantes Christiano-

rum. Utrobiq; enim par est ratio & necessitas, vi præcepti & comminationis divinæ. Circumcisionis quidem Gea: 17. v. 14. Maseulus, cuius præputij caro circumcisæ non fuerit, debitur anima illa de populo suo. Baptismi a. Joh: 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu, non introibit in regnum cœlorum. Hinc igitur sic infero: Si incircumcisæ Iudeorum infantes, non obstante istâ comminatione fuerunt salvati, tum utiq; non baptizati Christianorum infantes etiam salvari poterunt. At verum est prius. Ergo & posterius.

THEOREMA OCTAVUM.

Peccatum tamen actuale, quam originale in Baptismo adimitur,

S. 1. Species, in quas dividitur peccatum, primariæ sunt, quod aliud sit originale, aliud actuale. Utrumq; adimitur in baptismō Augustinus sentit, cùm ait: Regenerante Spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum, cap: regenerant: dist: 4., de consecrat: Et rectè. Sangvis enim Jesu Christi, Filij Dei, mundat nos ab omni peccato, i. Joh: 1. v. 7. Et Christus est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi, Joh: 2. v. 2. Hinc ita argumentor: Quodcumque peccatum est in mundo, illud sanguine Christi deletur. Peccatum tamen actuale, quam originale est in mundo. Ergo utrumquè sanguine Christi deletetur.

S. 2. Ceterum hoc diligenter hic monendum venit, nos non statuere, quod peccatum tamen originale, tamen actuale in baptismō tollatur ḡσωδωc, ut planè non sit, sed tantum quos ad reatum, ne scilicet renatis obfit, aut ad damnationem ipsi imputetur. Manet enim radix sive causa peccatorum, prava nimirum concupiscentia, quā homines accensi ad varijs peccatorū genera rursus quotidiē inflammantur, quo ad tandem hanc mortalitatis massam deponant. Atquè hinc sit, ut non impediente regeneratione nonnunquam nobis pœna justo Dei judicio infligatur, eò quod eam nostris meritis rursum in nos provocemus, à qua per lavacrum regenerationis eramus liberati.

THEOREMA NONUM.

Omne peccatum suâ naturâ cît mortale ; & nul-
lum veniale.

S. 1. Pontificij (quod & olim Pharisæi affirmabant) quædam peccata tam levia & nullius ponderis esse statuunt , ut per se , & propter exilitatem suam veniam mereantur , adeoque reatum mortis nequaquam superinducere queant . Bellarm: lib: 1. de amiss: grat: cap: 4. & sequent: Nos autem contrâ assertimus : Nullum peccatum , etiam minimum in se esse veniale , aut venia dignum : sed omnia ex natura sua esse mortalia , hominesquæ æternæ mortis reum facere , nisi merito Christi expientur .

S. 2. Probatum & confirmamus hanc assertionem nostram ex dicto Matth: 5. v. 19. Quisquis solverit unum ex mandatis hisce minimis , minimus vocabitur in regno Dei , *Eh̄ayt* 5. Autem vel minimus in regno cœlorum hic pro nullo ponitur , quemadmodum illud explicat Lutherus in margine , ubi ait : Kleines heissen / das ist / Nichts sein vnd verworfen werden . Quod si ergo transgressio minimorum quoquè præceptorum excludit à regno Dei , utiq; nullum peccatum suâ naturâ veniale , sed minutissima etiam mortalia esse reæ concluditur .

S. 3. Et licet aliquando peccatum quoddam veniale dicatur , tum illud non consideratur , ut est in sua natura , sed ita denominatur ab eventu , quatenus nimis propter Christi meritum creditibus remittitur , nec ad condemnationem imputatur . Atq; sic , quod suâ naturâ mortale est , renatis ex gratiâ Dei dum condonatur , fit veniale , juxta illud , Rom: 8. v. 1. Nulla est condemnatio in his , qui sunt in Christo Jesu .

THEOREMA DECIMUM.

Peccatum in Spiritum sanctum est irremissible.

S. 1. Communis Theologorum regulæ est : opera Trinitatis ad extra sunt communia : & quicquid dicitur de persona una , idem quoquè dici debet de persona altera . Hinc questio oritur , an dati possit peccatum , quod tantum sit in Spiritum sanctum , & non una in Patrem & Fi-

lium? Ad quem Ζητούσι respondemus, quod omnino ordō
sit servandus inter personas Trinitatis. Hę enim non tantum
inter se distinguuntur proprietatibus hypostaticis (personā-
libus) sed etiam ab externis proprietaribus beneficiorum &
præcipuorum operum erga creaturas. Sic Patis est creatio:
Filij redemptio: Spiritus sancti sanctificatio, illuminatio &
regeneratio. Litēt enim ad opus creationis, redemptionis &
sanctificationis omnes tres personæ concurrant, non tamen
de omnibus ex æquo istud prædicatur, sed duntaxat de una
qua potissimum opere isto sese manifestavit.

§. 2. Parimodo, licet omne peccatum totam lēdat Tri-
nitatem, attamen quoddam nūp̄ ἐξοχήν in Spiritum sanctum
fertut, idquē ratione proprij officij & operationis Spiritus
sancti, nimirum illuminationis, cuius proprij in cordibus
hominū effector est. Qui igitur gratiam Spiritus sancti abjici-
unt, illiusquē operationi scienter, volenter & pertinaciter
resistunt, specialiter in Spītūm sanctūm peccare dicuntur.

§. 3. Dicitur autem hoc peccatum irremissibile, non
ratione magnitudinis, quasi gratiam Dei & meriti Christi di-
gnitatem superet, (grātia enim exuperat peccatum, Rom:
5. v. 20. & Christus est propitiatio pro peccatis totius mun-
di, 1. Joh: 2. v. 25.) sed ratione personæ committentis, &
contemptū mediorum, quæ ad salutis acquisitionem neces-
sariō requiruntur,

§. 4. Nam is propriè peccatum in Spiritum sanctum
committere dicitur, qui agiram, & in conscientia sua ap-
probata veritatem Evangelicam destinato consilio, nullā
infirmitate factā, ex mera malitia abnegat, & ad extremum
usq; halitum impugnat, adeoq; Christum ejusq; meritum cō-
temnit, blasphemat & pedibns quasi conculeat.

§. 5. Hoc modo qui delinquit, omnia salutis media
excūt, & per consequens remissionem peccatorum ampli-
us sperare non sūdet. Extra Christum enim nulla est salus.
Et, ut loquitur Apollolus, impossibile est, eos, qui semel
sunt illuminati, & gustaverunt etiam donum coeleste, & par-
ticipes facti sunt spiritū sancti, & gustaverunt bonum

Dei verbum, virtutesquē venturi seculi, & pro-
lapsi sunt, rursus renovari ad pōnitenti-

am Heb: 6. v. 4; 5, 6.

